

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
ii  
12  
13  
14



SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM  
DE  
OZÆNA MAXILLARI  
CUM ULCERE FISTULOSO  
AD  
ANGULUM OCULI INTERNUM  
COMPLICATA

QUOD  
SUB AUSPICIIS DIVINIS  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

*PRO LICENTIA*  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
*DIE XX. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXI.*  
FRIDER. LEOPOLDUS WEYLAND  
BUXOVILLANUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Univerſit. Typogr.

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

OTITIS MAXILLARI

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

ANGULUM OCULI INTERNUM

GRATIAS AGITATIS MEDICIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ACQUIRERE DOCTOREM

SOLENNITER EXAMINI SUBIIT

DIE XX SEPTEMBRIS A MDCCCLXXI

FRIDER. LEOPOLDUS WEYLAND

BOCHUM

M. D. C. C. C.

Dr. Othmar von der Hagen, Oberstl. Thesaur.



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
LUDOVICO IX.  
HASSIÆ LANDGRAVIO  
PRINCIPI HERSFELDIAE  
COMITI  
CATIMELIBOCI, DECIAE,  
ZIEGENHAYNÆ, NIDDÆ,  
HANOVIAE,  
SCHAUMBURGI, ISENBURGI  
ET BUDINGÆ  
&c. &c. &c.



SACR. CÆS. ET IN HUNGARIA BOHEMIAQUE

REG. APOST. MAJEST.

SUPREMO REI ARMAMENTARIÆ

PRÆFECTO

ET LEGIONIS COPIARUM

PEDESTRIUM

TRIBUNO

ORDINIS AQUILÆ NIGRÆ

EQUITI.

JE  
M  
Æ

SERENISSIME  
PRINCEPS!



uanquam ex prisca<sup>rum</sup> gentium probabili  
omnino more, quo Principibus non nisi  
optima quaeque offerri debebant, tenuis  
haecce opella, quam Venerando Tuo,  
**SERENISSIME PRINCEPS!**  
nomini inscribere audeo, Iudicii Tui  
aciem merito reformidare debere videatur; gravissimae ta-  
men, quasque aequissimae, **OPTIMI PRINCIPIS,**  
id est, Tuae menti approbaturum me esse fere confido, ra-  
tiones me impellunt, ut, quod timidiuscule absque iis fecis-  
sem, faciam nunc audacius. Quod si enim Imperantis est,  
de subditorum gubernationi suae civium profectibus cognosce-  
re; Tibi sane, & Patriae totius & meae Patriae, Patri,

studiorum, quae *Arti medicae* adhuc dicari, qualiumcunque  
ationem me reddere par est. Si beneficiorum, quae  
**OPTIMUS PRINCEPS** in Parentes cumulatissime  
ontulit memoria nec apud remotissimam eorum posterita-  
em, intermori unquam debet; ea sane benignitatis, qua  
Parentes meos per plurimos annos dignatus es, est magni-  
tudo, ut, ni beneficentissimam, qua egregie sustentati studia  
nea profecuti sunt, manum venerabundus exosculetur, ingratissi-  
mus omnium jure videar. Quare accipe, **SERENISSIME**  
**PRINCEPS!** levidense hoc munusculum, ut Tibi solenne  
est, gratiose; meque in immenso civium, Tuae, gentisque  
Tuae incolumitati, qua patriae salus quasi cardine vertitur,  
devotissimorum, devinctissimorum Tuis beneficiis Clientum,  
atque omnino pientissimorum Tuarum, omni meo vel ullius  
praeconio majorum, Virtutum admiratorum numero non  
postremum & esse & perpetuo futurum cense.

FRIDER. LEOPOLDUS WEYLAND,  
AUCTOR.





§. I.

## INSTITUTI RATIO.



Qui sedulo Medicinæ operam navavit, juni Medico nihil injuriosius est communi isto præjudicio eorum, qui existimant, in cura sanitatis & vitæ, jam diu in praxi versatum, multaque experientia onustum virum, juniore Medico esse præferendum, qui nunc in eo est, ut veritates, quas didicit, ad normam experientiarum, quas ex fonte optimarum Observationum hausit, applicet, suisque propriis suffulciat, cuique nihil magis curæ cordique est, quam, totum se bono aliorum fovendo, fiduciam sibi comparare & dignum sese reipublicæ civem præstare. Graviter vero errare, qui omnem Medici scientiam ex numero eorum, quorum jam curam gesserat, computant, demonstrare, haud ita arduum opus.

A

Verum enim vero facilem hic esse ad duo extrema lapsum, quotidiana loquitur experientia. Quid enim frequentius, quam juvenes, qui summis, ut ajunt, labiis, gustatis Medicinæ fundamentis, rejecta omni experientia, qua corrueret jejuna eorum cognitio, multum sibi Syllematicorum nomine placent. Huic opposita via ingredientibus ætate provectiores, semper ad experientiam provocant, nihil ex rationibus disputant, & stringentius nullum argumentum in ratiocinando habent, quam tritum illud: *Expertus sum*, quasi vero prono sequeretur alveo, qui multa vidit, multa cogitasse; tandem a semel recepta methodo ne unguem latum recedunt, & sic plane mechanico modo artem exercent, quæ, si ulla alia, judicia sana reposcit.

Confideremus vero Virum in Medicina exercitatoria versatum, quem ex multis jam annis, ipsa, quibus obrutus fuit, negotia, theoreticam Medicinam negligere coegerunt, & quod persæpe, proh dolor! videre est, qui cum veteribus Empiricis, quos, pro more suo, graphice CELSUS a) depingit, nil stultius esse credit, quam, quale quid vivo homine est, tale existimare esse moriente, imo jam mortuo, & latentium morborum causas ad rem non pertinere, quia non interfit, quid morbum faciat, sed quid tollat, & qui Medicinam viam quandam, eorumque, quæ in morbis communia sunt, contemplatricem esse contendunt. Quod si cum hoc conferimus juvenem Medicum, sanioribus castæ Medicinæ principiis imbutum, accuratius omnibus recessibus, omnique partium corporis humani structura pervestigatis, clinico quidem, quod vocant, exercitio destitutum, aut, qui experientiam sibi acquisivit ex fide dignis & præstantibus Observatoribus, quos diurna manu nocturna que versaverat. Quis,

a) L. I. pag. 8. & seqq. Edit. ab Almeloveen Lugd. Bat. 1746.

quæso, mente sanus, talem, annis licet minorem, perito  
 ulti Practico non anteponendum esse autumat?

Extra omnem dubitationem ergo positum est, expe-  
 rientia, legitimo modo acquisita, niti totum Medicinæ  
 practicæ ambitum. Probant & id, tot tantique nostro  
 ævo suscepti labores, ut observationes instituantur, itera-  
 tis vicibus repetantur, ut veras experientias, a judiciis  
 discursivis, quæ *vitia subreptionis* nuncupat Philosopho-  
 rum schola, distinguant.

Necessarium ideo est, ut cum Jll. GAUBIO *b)* loquar:  
 „Ante oculos habere historias omnium ac singulorum mor-  
 „borum integras ex plenis atque intaminatis Practicorum  
 „observationibus accurate concinnatas, quibus collatis  
 „cum illis, quæ in præsentî ægro sagax examen detegit”  
 universam morborum cognitionem niti docet. Regia  
 ergo via incedunt, & veram & rationalem Medicinam  
 profitentur, qui ex experimentis, quæ Natura duce in-  
 stituerunt, calli ope ratiocinii, axiomata deducunt, ta-  
 les etiam jure Practicorum nomine digni.

Gratulor itaque mihi, gratulor omnibus, qui in ad-  
 discendis Medicinæ principiis Celeberrimos hujus Acade-  
 miæ Medicinæ Doctores, duces secuti, Naturam scruta-  
 ri, observare, experiri edocti sunt; beneficii certe genus,  
 quod non in discipulos solum, sed in humanum genus  
 quam maxime redundat, cum non alia ratione veri paren-  
 tur Medici; beneficii itaque genus, quod & ultimi nostri  
 nepotes grata mente celebrabunt.

Cum igitur ex Academiæ legibus, ad honores Do-  
 ctorales aditum quærens, Specimen exhibere teneat, quid  
 aptius eligere posse non speravi, quam, suadente Celeb.  
 Dn. LOBSTEIN, præceptore, cujus in me merita perenni,  
 pia, grata mente manebunt reposita, eam Observationem,

*b) Institut. Patbol. Medicin. p. 18.*

cujus copiam fecit Cl. Busch, civitatis Chirurgus dexterimus, quæ non poterit non, si æqui bonique consulant ea, quæ juvenilis & parum adhuc exercitatus. calamus adjecit, accepta esse atque jucunda Philiatris.

Cum morbus sit sinus maxillaris, ulcere fistuloso ad angulum oculi hians, de quo differere animus est, ut primum pro tenuibus, quibus polleo, viribus descriptionem partium, quas occupavit, illisque vicinarum exhibeam, ordo postulat, Observationem deinde ipsam quibusdam similibus illustrabo, paucisque de maxillari ozæna, eique medendi variis rationibus subjunctis, finem dicendi faciam.

§. II.

Quæ maxillam superiorem constituunt, ossa, numero bina sunt, satis notabilis magnitudinis, utrinque in facie posita, figuræ valde irregularis; in basi cum se ipsis conjuncta & una cum ossibus palati posterius illis adnexis palatum efformant. In eorum circumferentia ad basin, quæ dimidii circuli mensuram superat, cavitates plurimæ, *alveoli* dictæ, profundæ, vaginis similes, sursum versus paulum coarctatæ, porosæ, plerumque octo in adultis exculptæ sunt, quibus infixi hærent dentes. Paulum supra has in antica parte disjunguntur, ibique margines adfunt pro cavitate narium. Supra hanc excavationem in anterioribus ascendit apophysis nasalis, quæ cum propriis ossibus hujus nominis nasum facit externum, atque paulo declivius in fundo anguli interni orbitæ os lacrymale recipit, laminæ ossis ethmoidis conjunctum; ut adeo hisce tribus internum orbitæ latus perficiatur. Eminentia quadam ossibus zygomaticis junguntur; processus palatinus cum osse hujus nominis palati cavum efformat; posterius adest etiam tuberositas, maxillaris dicta. In angulo fossæ orbitalis interno foveola est pro insertione musculi obliqui

inferioris oculi prope ductum lacrymalem; tenuis quædam lamina hujus ossis pro fundo est orbitæ; notanda incisura pro osse unguis recipiendo, alia, quæ ad rimam spheno-maxillarem contribuit. Canalis lacrymalis cum osse unguis ductus lacrymalis efficit partem superiorem. Est &, ubi deficit os unguis, ut lacrymarum canalis totus apophyli nasali nostri ossis insculptus sit. Occurrit præterea foramen sub inferiore orbitæ parte, ideo orbitarium inferius dictum, quod longo ductu per basin orbitæ incedente, interius, prope fissuram spheno-maxillarem, foramine, orbitario interno dicto, terminatur. In laterali versus earium cavum spectante parte transversæ quædam sunt eminentiæ, pro turbinatis ossibus sustinendis. Tandem singula cavitatem amplam recondunt, ex discedentibus eorundem laminis factam, cujus descriptionem ampliorem deinde adornabo. Diploë fere totum destituitur os, exceptis paucis quibusdam locis.

## §. III.

Cum omnium sinuum communis sit fere usus, nec non alternam communicationem inter se alant, pauca, de præcipuis, quæ in nares aperiuntur, sinubus, præcipiam. Primo de *frontali* dicendum: Est ille antè in fine ossis frontalis & ex cellulis, inter laminas, internam & externam, ossis, a se invicem discedentes, conflatur. Varius est tamen in variis subjectis harum cellularum numerus: Nulli plane adfunt in fetu, teste Cel. MONRO *a)* Jll. ALBINUS *b)* eas habet pro serpentium proximarum cavernularum ethmoidis ossis continuatione. Variè se sistunt, quæ coram habeo, specimina, ut in uno duæ, in aliis tres quatuorve cavæ se conspiciendas præbeant, quæ tamen

*a)* *Of the Bones and Nerves* p. 84.

*b)* *Annotat. Academ.* L. I. p. 36.

omnes in commune ostium utrinque, confluent, inter-  
 medio septo distinctæ, aliæ in cellulas ethmoideas se ape-  
 rientes, aliæ in sinum maxillarem anfractuoso ductu desi-  
 nentes, aliæ denique cellulis ethmoideis, juxta radicem  
 ossis spongiosi superioris retrorsum inter hoc & inferius  
 ejusdem nominis, os, in narium meatum descendentes.  
 Cl. VIEUSSENS *c)* sinum frontalem dextrum sinistro fem-  
 per esse ampliorem asserere video; hæc tamen in omnibus,  
 quæ ante oculos scribentis specimina sunt, plane aliter  
 sese habere reperio. Est mihi os quoddam, unico tan-  
 tum in latere sinistro, eoque minimo sinu instructum, qui  
 in cellulas ethmoideas terminatur. Cl. REININGER *d)*  
 subjecti meminit, ubi nullum vestigium nec hujus nec  
 sphenoidæ sinus deprehendere poterat.

§. IV.

*Sphenoidalis* sinus uno plerumque cavo, quandoque  
 duplici, uti HEISTERUS *a)* docet, in medio ossis sphenoi-  
 dis corpore sub sella turcica & alis minoribus reperitur,  
 brevi & rotundo lumine ab anterioribus ad interiora pau-  
 lum supra posteriorem ossis spongiosi superioris partem  
 exsculpto in summum locum sinistri cavi narium sese  
 aperit. Cranium coram habeo, ubi duo cava interstitio  
 per medium transeunte, separata, singula proprio in ca-  
 vum utrumque narium foramine hiant. Inveni in alio  
 tenuissimum intermedium septum, quod cavitatem dex-  
 tram plane a sinistra separabat, ita tamen, ut parvulum pro  
 communicatione ad superiora foramen relictum esset,  
 unico tantum in sinistro latere foramine in nares hianti.

*c)* *Neurogy. univ.* L. I. c. 16. p. 103.

*d)* *Dissert. de cavitat. oss. cap.* Altorf. insert. *Collect. Haller. Dissert.*  
*Anat.* T. IV.

*a)* *Compend. Anal.* p. 18.

## §. V.

Pedem nunc promoveo ad describendum sinum *maxillarem*, qui jam ulterioris meae indagationis est. *Antrum, fossam, specum gena* appellat CASSERIUS *a)*. In honorem HIGHMORI, injurie quidem *b)*, quippe VESALIO jam dictus & minus accurate HIGHMORO descriptus, dum ne verbulum addit de foramine, quod in meatum narium hiat, sub ejus antro hodie in Anatomicis venit. Nunquam non adest; nec in fetu deesse, testatur Cl. ZIERVOGEL *c)*. “In fetu, inquit, quin & infantibus prorsus abesse, & remotiores narrarunt Anatomici & recentiorum nonnulli, sed non prorsus ex vero.” Et HALLERUS *d)* “In ipso fetu, inquit, primordia sinus maxillaris conspicua sunt, minima tamen, quo posterior tota illa convexitas ossis ejus nominis late excavatur, ut sit omnium pituitariorum sinuum capacissimus.” Nonnunquam tamen deesse notat Jll. MORGAGNI *e)* sed rarissime. A praefepiolis dentium maxillarium ascendit sursum ad angulum orbitae internum usque & plurimum ab externo & postico latere turget. Omnia ejus latera, nonnisi tenuibus laminis ossis circumdantur, praeter eminentiam, qua zygomatico ossi nequitur, & alveolorum intervalla, ubi crassior ossis substantia. Inferius, ubi angustior est

- a)* Professor olim Patavinus in *Pentasthesio* sive *Libr. de V. sensibus*. Libr. III. Cap. XVIII. p. m. 117. Vid. & Cl. DRAKE in *Anthropolog. nov.* L. III. Cap. X. quod COWPERUM habet autorem.
- b)* Vid. Jll. Halleri *Elem. Phys.* T. V. L. XIV. S. 1. Non videtur legisse ipsum HIGHMORUM Cel. BORDENAVE, qui dicit, ita exacte descripsisse illum hanc cavitatem, ut nomen suum ei dare meruerit. *Mem. de l' Acad. de Chir.* T. IV. p. 332. Hujus generis anachronismos plures in partium denominatione reperies.
- c)* *Dissert. de Nar. intern.* §. IV. n. 1.
- d)* *Element. Physiol.* l. c.
- e)* *Advers. Anatom.* VI. p. 116.

finus, efformat ejus parietem hujus nominis ossis pars, quæ sedem dentibus præbet. Horum fere omnes molares prominentibus in illum radicibus totidem parvis gibberibus sive convexitatibus in fundo sinus apparent; accidit etiam non raro, ut eorum radices, perforato alveoli fundo in cavernam hanc usque penetrant, teste Jll. ALBINO *a*), nec non Cl. BERTINO *b*), & Cel. WINSLOW *c*) de canino dente loquitur, interdum ad antrum hocce pertinente. Superior paries simul basin orbitæ constituit; connectitur ibi cum osse plano, palati & sphenoideo. Latus exterius juxta os jugale furgit ad postrema, atque lunatum est; posterior scabrum ossi palati jungitur. Internus, qui cavum narium spectat, paries, ex concavo fundo rectius ascendens tenuis est, posteriori ejus parti os palati applicatur, partemque ejus efformat, infra eminentia gaudet transversa, quam & ossis palati pars superior habet, qua sustinetur os spongiosum inferius, ut adeo hæc duo ossa ad hunc parietem symbolam conferant. Notandum præterea, hujus parietis defectum hinc inde a membrana omnia hæc loca investiente suppleri. In superiore parte ad fundum oculi verum est sinus ostium, quo ad vicinas nares hiat, os spongiosum superius inter & inferius. Ejus canalis efformatur a processu ossis cavernosi cum osse unguis & turbinato superiore inter se connexis, & desinit in oblongam ad nares aperturam; ut adeo via e sinu non egrediatur directa, sed postica versus declinante, tecta media ossis spongiosi superioris concavitate, membrana mox dicenda mucosa, omnium ibi hiatusum complemento, exigua tantum rima relincente, adeo angusta, mucique effluxui parum adaptata, ut, quomodo exire illum velint ibidem,

*a*) de *Scelet. human.* p. 183.

*b*) *Osteolog.* T. II. p. 168.

*c*) *Exposit. Anatom.* T. I. n. 372.



ibidem, vix concipi queat. Cæterum, justam de hujus finus usu, morbisque, qui illum fatigare solent, ideam sibi formare cupientem, hoc ostium multum supra sinus fundum elevatum esse, observasse non pigebit, ut adeo nullo in situ ambo & toti evacuari valeant. Est spatiosum valde cavum, rarisque cellulis interspersum, in illis saltem, quæ ad manus sunt, speciminibus, ubi nec appendix HALLERO *d)* dicta satis manifeste reperiri potest. In basi angustum fere semper, ad tertium dentem molarem paulo declivius, sensim sensimque amplius fit, & longe lateque ad orbitæ basin angulumque oculi internum porrigitur.

#### §. VI.

Omnes hos sinus, reliquaque narium cava membrana investit, antiquioribus Medicis non incognita, sed a SCHNEIDERO *a)* demum curatius descripta, in cujus & laudem nomen suum jure gerit; *pituitaria* quoque dicta quia ad fecernendum mucum, veteribus pituita dictum inferuit; ideo etiam Jll. BOERHAAVE *b)* *mucosam* appellat. Per singula ostia & foramina narium intrat, omnesque sinus & anfractuositates subit, tenuis in initio, crassior in progressu ad fauces, pulposior hic, quam in sinibus. Membrana est continua cuti, cuticulæ, interius asperæ arteriæ & tubi intestinalis membranis; innumeris picta vasculis, quæ felix injectio demonstrat, sensilissima, folliculis mucosis obsita. Arterias quidem quod attinet, eæ propagines sunt a maxillaris internæ ramis, aliisque cuique sinui propioribus, quas omnes sedulo profecutus est

*d)* *Elem. Physiol. Corp. Hum. l. c.*

*a)* Professore Medicinæ in Academia Vitembergensi circa medium sæculi decimi septimi, in Tractatu suo de *Catarrhis*,

*b)* *Institut. Medic. §. 492.*

magnus ævi nostri vasorum Scrutator Jll. HALLERUS c), Venæ arteriis sociæ decurrunt magnumque plexum efformantes in jugularem internam suam effundunt sanguinem. Sensum habet nostra membrana a primo partim nervorum pare, quod numerosos suos ramulos per ethmoidea foraminula in nasi cavitates immittit, partim a quinti paris furculis ex primo atque secundo ramo proficiscentibus; hos elegantissime Cel. MECKEL d), istos graphice Cl. METZGER e) descripsit. De folliculis denique recentissimorum Anatomicorum industria omne dubium tollit, licet adeo sint exigui, ut vix demonstrari queant. Ita enim Cel. WINSLOW f), ubi de hac membrana loquitur: *Elle est parsemée de quantité de petits grains glanduleux du côté du perioste & du Perichondre, dont elle est accompagnée. Les conduits excrétoires de ces grains sont très longs autour de la cloison du nez & leurs orifices y sont assés sensibles;* &c. & ipse Jll. HALLERUS g) harum cryptarum existentiam affirmat, quando "Veros esse folliculos, inquit, demonstrat ratio expressæ guttulæ ad tenuitatem poruli." Unde igitur mucî copiosissimi, qui hanc membranam perpetuo obungit, origo? An ex solis arteriolarum finibus secundum SCHNEIDERUM? h) Non videtur, & contra facit glandularum hic vera existentia & liquoris natura, quæ moram in secretorio organo demonstrat, cum ex simplici per arteriolarum fines secretionem non nisi tenuiora possint e sanguine exire. Quæ autem ratio diversitatis, quæ hunc

c) *Elem. Physiol. l. c.*

d) In elaboratissimo suo Tractatu *de nervis quinti paris.*

e) In *Dissert. de primo pari nervorum.* Arg. 1766.

f) *Exposit. Anatom. T. IV. n. 337.*

g) *Commentar. ad Prælect. Barb. T. IV. p. 49.*

h) *l. c. T. I. L. III. C. III.* sic loquitur: "Cuius nunc exploratum erit, vasa sanguinis hic desinentia, illius mucî materiem subministrare, quæ tandem hac membrana concipitur, digeritur, ac in modum ludoris subinde emittitur."

mucum inter & istum, qui in proximis faucibus, larynge & œsophago fecernitur, intercedit *i*)? Alienum quidem est a proposito meo, hæc inquirere, sed temperare tamen mihi non possum, quin hoc ipsum phænomenon inter ea argumenta collocem, quæ probant, non simplici fecessu ex sanguine fecerni liquores nostros, sed aliquam mutationem a suis organis pati, qua ad suos usus quam maxime fiunt idonei. Villos denique, de quibus WINSLOW *k*) loquitur, nec MORGAGNI, nec HALLERUS repererunt, & "vereor, inquit hic *l*), ne membranam in flocculos „dissolutam Cl. viri viderint, omnino, ut omnes in C. H. „cellulosæ telæ per aquæ vim in villos & spongiolam „dissolvuntur."

§. VII.

Quinam vero usui inserviant omnes isti narium recessus, proximum est, ut nunc inquirem. Scilicet duas in partes hic secedere video Physiologos, quorum hi ad olfactum facere docent, alii negant. Priorem sententiam tuetur cum Jll. BOERHAAVIO *a*), Jll. HALLERO *b*), aliisque, omnis fere Medicorum cœtus; posteriorem post SCHNEIDERUM, HIGHMORUS *c*), recentiusque Cl. ZIER-

*i*) Narium mucus secundum Jll. HALLERUM in *Prim. Lin. Physf.* §. 464. viscidus est, insipidus, insulfus, aëre spissabilis, crassior hic, quam alibi; faucium mucus mitis est, aquosus, viscidus, fila trahens, non absque olei & salis volatilîs & terræ copia vid §. 618. in larynge pellucidus est, aquosus, in lemas non coagulabilis, lenissimus, vid. §. 293.

*k*) *l. c.*

*l*) *l. c.*

*a*) *Instit. Med.* §. 492.

*b*) *Element. Physf.* T. V. L. XIV. S. III. §. III. & *Pr. Lin. Physfol.* §. 461. seqq.

*c*) *Disquisit. corp. hum. anat.* p. 218.

VOGEL *d*) ad veritatis gradum evehere tentavit. Quod ad sinus, inquit "ille, ne hilum quidem a certitudine, distare existimamus probatam celebribus viris sententiam, quæ istis minime amplificari olfactus organon postulat. Evidentissimum enim, cum sinibus, qua partem admodum remotis, nihil esse nervis certo olfactoriis commercii." Addi his argumentis potest, sæpius deficere sinus, præsertim frontales, nihil patiente olfactus integritate; sinuum membranam tenuiorem esse ista, quæ septum nasi que caveam induit; ipsum odoratum ex eorum mente, qui sinuum ministerium huc revocant, exquisitiorem in anteriori nasi parte esse; igitur, inservire magis sinus ad calefaciendum aërem, qui respiratur, inservire modificandis in voce sonis, ut, ad largam ossium elasticorum superficiem allidentes, loquelam sonoram gratamque efficiant. Sed licet hos usus nullatenus negandos existimaverim, quippe quibus & ipse Jll. HALLERUS *e*) suum largitur calculum; potest tamen ad receptæ sententiæ probationem allegari, membranæ per omnes sinuum anfractus continuitas, sensibilitas, transitus aëris per omnes istas caveas in inspirando & exspirando, animalium exemplum, quibus ad quærendum victum maxima olfactus organa natura dedit *f*); Anatome denique comparata, quæ in mutis piscibus nostris similes cavas cellulas fecit *g*). Nec ullo satis certo fundamento negari potest, & hic nudas jacere nervorum pulpas, cum ad ultimas suas divisiones non prosequendi sint nervi; Itaque in suspenso saltem relinquenda res est, donec plenior lux affulgeat. Quod tandem mucii effluxum ex his sinibus attinet, quem vario hominis situ expeditius sive difficilius fieri scribunt Auto-

*d*) *Dissertat. cit. §. VIII.*

*e*) *Elem. Physf. T. III. L. IX. §. X.*

*f*) *Vid. Ejusdem Pr. Lin. Physiol. §. 456.*

*g*) *Ejusd. Elem. Physf. T. V. p. 185.*

res, videtur certe, non ita anxie quærendam esse simplicissimæ rei rationem, cum satis probabile sit, a venis reforbentibus maximam istius liquoris partem in sanguinis circuitum revehi.

§. VIII.

“Ut curvi norma rectum, ita morbi fanitas:” sic eleganter Jll. GAUBIUS *a)*, atque ita secundo quasi flumine ad exponendos sinus maxillaris præcipue morbos ducor, de quibus speciatim dicere instituti ratio jubet. Multiplici vero affectuum generi obnoxium esse HIGHMORI antrum & ratio docet & experientia. Sarcomata, fungos, scirrhos, in carcinomata tandem degeneraturos non raro hic oriri, gravissimis ex Autoribus exemplis comprobatur *b)*. Cariem & exostofin, sive idiopathice sive symptomatice pati possunt ossei sinus parietes, reliquis ossium morbis quoque obnoxii. Heterogenea subinde eidem intruduntur corpora, ubi vel sclopetarium vulnus *c)*, vel alius quoque instrumenti percussio præcessit *d)*, & inflammatio etiam tandem, ejusque dirissimæ sequelæ nostrum finum male habent, inter quas suppuratio & exulceratio notabilem occupant locum, ex aliis quoque caveis, &

*a)* *Instit. Patbol.* §. 17

*b)* Vid. Cl. RUNGE utilis *Diff. de Morbis præcipuis sinuum* §. IV. sqq. Rintel. 1750. in *Collect. Diss. Chir. Haller.* T. I. n. XI. & Cel. BORDENAVE in suo egregio *Tractatu de Morbis sinus maxillaris.* *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. IV. p. 329.

*c)* Vid. Cel. BORDENAVE *ibidem.*

*d)* Talis videtur fuisse casus apud PETR. DE MARCHETTIS *Observ. Med. Chir.* obs. XXIII. Manubrio stabelli vulneratus erat mendicus in oculi angulo majore; frustra vulnere in hærentia extraxerat quidem Autor & vulnus curaverat, sed tribus post mensibus tumore in palato laborabat æger, quo secto stabelli manubrium extractum fuit. De sinu maxillari nihil suspicari videtur Autor.

ex dentibus quidem cariosis e) nonnunquam oriundæ. Hoc ultimum affectus genus est, quod *Ozænæ maxillaris* nomine insignivere recentiores, vix enim ac ne vix quidem in veterum monumentis hujus morbi mentionem reperies, in totum ab illis prætervisi. Sed nostris demum fere temporibus Cel. COWPER apud Cel. DRAKE f), five secundum Cel. GÜNZ g), Cl. MEIBOMIUS de nostro affectu ita meruere, ut posteris opportunitatem exhibuerint, altius istos rimandi, sua adjiciendi, morbiq; diagnofin atque curam ita illustrandi, ut & in hunc hostem arma nobis subministrare poffit Ars machaonica h). Huc & fuam sane symbolam confert Cel. BUSCHII memorabilis obfervatio, quam ipfiffimis ejus verbis enarratam exhibebo, mea dein levia cogitata circa naturam curamq; hujus morbi subjuncturus; cumque Speciminis Academici limites omnino effent transcendendi, fi & reliquos nostri

- e) Sine prævia inflammatione generari poffe pus recepta fere hodie fententia est. Quod ad dentes cariofos, hos frequentiffimam unicamq; fere ozænæ maxillaris caufam effe exiffimat Cel. LOUIS *Mem. de l' Acad. de Chirurg.* T. IV. p. 376. cui quidem hac in omnino affentiri vetat magnus Obfervationum numerus, quæ aliam exhibent morbi caufam.
- f) *Anthropol. nov.* L. III. C. X. cui infcripta funt verba: *by Mr William Cowper*; hinc factum est, ut methodus ifta curatorii, de qua infra dicemus, Cl. DRAKE fuerit adfcripta ab HEISTERO *Infst. Chir.* P. II S. II. C. LXXII. §. VII. & JUNKERO *Confpect. Chir.* Tab. XLVIII. VI. 4.
- g) Hic in propemptico Lipf. 1753, edito p. XI. affirmat, MEIBOMIUM longe ante COWPERUM hanc medendi viam propofuiffe. Est tamen aliqua & hic differentia; fc. non fatis clare eam expofuit MEIBOMIUS, dum alveoli perforationem tacet, quam non omittit COWPERUS l. c.
- h) Inter hos maxime laudibus dignus Cel. BORDENAVE in *Tr. cit.* Cæterum non plane intelligo Cel. LOUIS verba, quando dicit, Chirurgiæ nunquam in hujus morbi curatione aquam hæfiffe l. c. p. 380. cui tamen affertioni refragantur ea, quæ de methodorum in hoc morbo historia legimus.

sinus morbos rite exponere fusciperem ; liceat doctioribus calamis i) eos relinquere, atque considerationi tantum nostræ observationis atque ozænæ maxillaris immorari.

§. IX.

Subpræfectus quidam, legionis Gallicæ, quam Helveti constituunt, Courten dicta, in prælio ad Rosbacum a glande ex bombardâ manuaria missa ictus fuit, quæ in orbitam dextram cum tanto ferebatur impetu, ut partem internam marginis infra orbitalis, sacco lacrymali & tendine musculi obliqui inferioris illæsis detunderet, et bulbum oculi inter & basin orbitæ infixu hæreret ; hæc tamen ita diffracta, ut in ea, nec non in tegumentis anguli interni, callo obductis remanserit apertura. Extracta glande plumbea cum ossis diffractis frustulis tanquam sanus a Chirurgo dimissus, diu satis suum incommodum tulerat, cum ad me tandem forte accedens, infortunii sui historiam narraret ; meamque opem efflagitaret. Ortum ex vulnere ulcus fistulosum in basi palpebræ inferioris, proxime ad saccum lacrymalem, tam in suo orificio, quam interna circumferentia callosum sese fistebat & insensibile. Nulla se opponebant penetranti specillo obstacula. In amplo satis spatio illud esse cum intelligenrem, locumque, ad quem offenderat, deprehenderem ; hæc res, fateor, primo intuitu aquam mihi hæere fecit ; verum, cum clausis ore & naribus valide exspirare cœperit ager, clara mihi affulsit lux, cum protinus ex jam memorata apertura una cum aëre magna puris copia cum impetu ad distantiam quamdam proflire viderem. Non potui non ex his concludere, basin orbitæ, quæ superiorem sinus maxillaris partem efformat, cum deperditione substantiæ disruptam, & inde talem hiatus ortum esse, per quem purulenta materies, quæ

i) Eorum pertractionem pollicetur Cel. BORDENAVE ibid. p. 376.

in fundo sinus maxillaris latebat, ope aëris per nares internas lateris affecti in antrum HIGHMORI valide erumpentis, una cum eodem, qua data apertura, eliminaretur. Ex hoc a priori de natura fistulae, & ex ratione, qua pus exscreabatur, de ejus receptaculo certiore redditum, a posteriori adhuc confirmavit medendi methodus. Reposcere ideo videbantur curatoriae indicationes; 1° Ut puri magis idoneus, & qui sanationem juvaret, exitus conciliaretur; 2° Tollerentur callositates; & 3° Obviam iretur omnibus, qua impedire possent quo minus sanaretur & clauderetur externa apertura. Ut primæ indicationi satisfaceret, tertio dente molari, quia supra ejus alveolum maxime declivis est sinus maxillaris, evulso, alveoli fundus triquetra acus ope perforabatur, usque dum nullum amplius obstaculum perciperetur, instrumento hanc ob causam non recta sursum, sed paulum oblique & deorsum directo. Simul atque extraheretur perforatorium, os materie purulenta repletum erat, & quoties per orificium externum injectiones institui, toties injecta materies per sinum in os viam relegit. Ad implendam alteram Indicationem, elatus, qui externæ aperturæ circumdabatur, callus, excindebatur, illi autem, qui fistula circumferentiam obducebat, turunda, emplastro vesicatorio, incrustata applicabatur, qua totum tractum fistulae insensilem æquabat. Effectus hujus emplastri rodentis partim sese monstrabat, quod duodecim horis elapsis cum turunda membrana callosa, illi adhaerens, eximeretur, partim ex sensibilitate & sanatione, qua hoc presso pede sequebantur. Membrana pituitaria sinum investientis sensibilitas, & declivitas hujus fistulae, ne ab usu aliorum Septicorum sticorum, vel ipsius lapidis infernalis deterruerunt, cum facile accidere potuisset, ut tale, eo, quo applicaretur, momento, cum humore ex omnibus punctis exsudante se miscuisset, & in sinum maxillarem descendens, graves ibidem dolores & erosiones creasset. Cum itaque semper proprio pondere per alveolum perforatum in os destillaverit purulenta materia, & qua dictas injectiones  
 exci.



excipiebat, melior iudoles & parciior puris copia, me in spem proxima salutis induxerint, præcipue cum jam & externa apertura & alveolus pertusus ex nova inde regenerata substantia claudi cœperint, nil amplius supererat, quam tertix Indicationi prospicere: scilicet *Ethychnia* (bourdonnets) quæ immittebantur, sensim sensimque breviora & graciliora exhibita, & tandem ex interna & externa apertura exulare iussa fuerunt. Ne vero impetus pervumpentis aëris in emungendo nares, & sternuendo, delicatule adhuc coherentes partes exilis palpebræ iterum separaret, tenello huic loco cochleam, quæ distento lacrymali sacco, applicari solet, imposui, ut per hanc oppositam pressionem, semper allidenti aëri satis resistetur, quia ob deficientem ibi substantiam diploicam nulla ossis expletio expectanda erat, præterea ad novam cicatricem robustiorem reddendam, per tempus, pannis, aqua vulneraria & calcis madidis obtegebatur.

§. X.

Ozæna maxillaris, cui hunc, quem descripsimus, morbum, annumerandum esse nemo inficias ibit, multis nocentibus causis suam certe originem debet. Inter eas quidem frequentissima est dentium superioris maxillæ, qui ad sinus fundum usque pertingunt, caries a); hac enim & alveoli & intergerinus nostri sinus inferior paries eadem afficitur labe, facile inde ipsi antro infesta. Potest deinde sanguinis massa vitio scorbutico, venereo, inquinata, sicuti omnis ozænæ, ita & hujus speciei causa esse b), sicubi conditiones adsint, quæ humorum peccantium copiam in hanc cavitatem potius conferant, quam alium in locum. Ita & metastatice hic decumbens humor

a) Vid. not. c. §. 8.

b) Vid. Cel. HEISTER l. c. §. II. & Cel. GÜNZ l. c. passim, qui frequentissimam ozænæ maxillaris causam veneream esse existimat.

malignus, mucum in suæ labis consortium trahit, membranam erodit, ipsaque tandem ossa alterat. Hæc quidem hæctenus enumeratæ causæ *internæ* sunt; aliæ *externæ*, ab omni violenta in partes sinui vicinas actione proveniunt; pertinet huc contusio fortis *c*), quæ non solum exteras genæ partes vexare, sed & vasorum & nervorum commercio internas infestare potest, atque ita sinum ambientem membranam inflammatione, suppuratione, exulceratione tandem male mulctare; huc denique omnia vulnera *d*) ossis maxillaris externo parieti inflicta, quocunque demum instrumento illata fuerint, quibus non eadem solum efficiuntur, quæ ex contusione fieri dixi, sed & determinato in sinum sanguinis aut puris effluxu, nostro morbo incunabula struuntur. Quibus rite pensitatis, prono conficietur ratiocinio & post prægressam inflammationem & sine ea, suppurationem atque exulcerationem in nostro sinu contingere posse, secundum causarum, quæ præcesserunt, naturam atque diversitatem, neque mirum tandem, pertinacius hæerere, altiusque serpere semel ingressum morbum, cum, nisi expedita afferatur medela in abscondita & fere undique clausa cavitate suas insidias clam moliatur, ita, ut non raro ad aliquem jam partium vicinarum corruptelæ gradum perventum sit, antequam contra morbum præsidium quaeratur *e*).

§. XI.

Sic certe intelligitur, non unius generis esse ozænam maxillarem. Nunc enim *symptomática* est, nunc *idiopática*; est quoque sive *simplex*, ubi intra sinus limites con-

*c*) Vid. *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* T. IV. p. 349.

*d*) Huc referas oportet & nostram Observationem & illam PETRI DE MARCHETTIS §. 8. not. *b.* citatam.

*e*) Vid. Cl. RUNGE *Diss. cit.* §. XI. pag. 209.

tinetur morbi sedes; five *complicata*, cum fistula five ulcere sinuoso ad exteriora hiante. Oportet autem signa colligere, quibus & absconditam morbi sedem expiscari, & cujus generis sit, eruere possimus. Et primo quidem, inflammatio, si adest, non solum suis se signis propriis prodit ista, sed & peculiariter tunc adfunt ex natura partis affectæ fluentia, adest hemicrania pertinax, dolet oculus ejusdem lateris, dolet tumetque gena, cujus rei rationem facile ex vasorum nervorumque anastomosi atque communicatione deduxeris a); totum corpus exagitat febris, omnisque œconomia humanæ summa turbatur, vi istius consensus, quem virtus vitalis inter omnes corporis humani partes alit. Ubi vero jam inflammatio remissit, five omnino exulante illa suppuratio atque exulceratio ex narratis causis in maxillari sinu subortæ sint, œdematoso tunc turgore gena se effert, dolent nares, palatum, sinusque anterior regio, ubi comprimitur; si in causa fuerint carioli dentes, tumet gingiva, atque subinde abscessum includit, difficilis atque dolorosa munctio est, & punctiorius tunc dolor in sinus maxillaris regione persentificatur b), tetrum odorem spargit emuncta materia, quæ quoque effluit, quando in sanum latus caput inclinaverit ægrotus, tandem & dira cephalæa ægrum excruciat, cujus itidem rationem ex nervorum anastomosi scite possis exponere. Facilior vero erit mali ejusque sedis cognitio, ubi penetrante fistula ad exteriora hiat; magni certe hic usus est stilus, qui in explorandis vulneribus, ulceribus aliisque morborum generibus perpetuo in Chirurgorum manibus volutatur; addi potest aliquis fani effluxus, ubi declivem finui situm conciliat ægrotus; atque præprimis pulcram diagnosin ex eo signo desumere

a) Vid. Cel. LOUIS *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. IV. p. 376.

b) Vid. Observaciones Cl. COWPER apud Cl. DRAKE *Anthropol. nov.* L. III. C. X.

potest Chirurgus, quo usus est Cl. Observator noster, scilicet, ubi clauso ore naribusque, expiratione valida aërem sanienque ejicit aeger; hoc enim phaenomenon cum fistulae directione comparatum, de ozænae maxillaris existentia certissimum relinquit Medentem.

§. XII.

Nondum vero his absoluta erunt, quæ de instituenda justa diagnosi tenenda sunt. Cautelis etiam opus est, ne pro ozæna maxillari habeantur atque curentur affectus ab isto genere alieni. Nec enim omnis externus genæ tumor certo indicat, sinum maxillarem esse inflammatum, aliasve affectum; quin potius omnium eorum symptomatum simul ratio habenda est, quæ exposuimus a). Nec ozænae maxillaris denominatione insigniendus est mucii effluxus, cui perperam curatio multifaria adhibita est apud Cel. PLATNERUM b), quales etiam casus publicos fecere HIGHMORUS c) atque OOSTERLING d). Ubi igitur tandem ita de vera ozæna maxillari per pathognomonica constitit signa; conficiendum quoque est ex anamnesticis presentibusque, ex Medicinæ præceptis atque ægroti responsis ad interrogata hauriendis, numne vel venerea, vel scorbutica vel alia sanguinis labe progenitum sit atque hucusque enutritum malum, cum ad veram curandi viam ineamdam non alia detur cynosura, neque curare morbum possit, qui, unde ille sit, ignoret.

a) Quomodo hæc tumorum genera, a se invicem distingui poterunt, discas apud Cel. BORDENAVE *Mem. de l'Ac. de Chir.* T. IV. p. 335.

b) *Profus. de Anatom. subtil.* A. 1734. Opusc. T. II. n. 27.

c) *Disquisitio Corp. hum. Anatom.* L. III. P. II. C. I.

d) *Dissert. de Osfactu.* Lugd. Bat. 1731. p. 9.

§. XIII.

Quid timendum, quid sperandum sit maxillari ozæna laboranti, materiæ ordo exponere jubet. Videtur quidem prima specie, ubi partis situm, naturam, usum consideres, haud gravem morbum esse, quem exponimus; & lubenter etiam largiemur, pro vario ejus gradu variisque aliis circumstantiis levem esse quandoque affectum. Nimirum, ubi recens est malum, nec membranam, nec ossa infecit sanies, ubi cita medicatione succurritur, nullum periculum alit morbus, partem haud vitalem infestans. Ita & annofo licet affectu, ubi declivem effluxum habuit, sive exspirando per fistulam explosa sæpe fuit mala materies, levior erit labes, quam vicinis intulerit partibus atque ita diræ sequelæ sin prævertantur, saltem procrastinantur, ut & post aliquod tempus curationi locus supersit. Sed pessimorum tamen consequentium symptomatum ferax malum est in quo describendo versamur. Et primum quidem sæpissime observatur osseorum nostri sinus parietum emollitio atque in tumorem elevatio a). Inducitur scilicet ossibus illud flexile Jll. GAUBII b), ut, „amissa stabilitate, potentiæ distorquenti facile cedant, „nec formam suam satis tueantur. „ Quæ igitur ratio hujus mutationis in parte solidissima? Vero valde simile est, comprimi nescium contentum fluidum claustrum sui parietes undiquaque urgere, ossis substantiam per inorganicos poros, quorum corporis humani partes & ossa quoque plena sunt, bibere quasi fluidas partes, ut mollis evadat; cumque tenues satis lamellæ sint, quibus maxil-

a) Vid. Cel. BORDENAVE *libr. 83 loc. cit. p. 335.* & præsertim illam ozæna maxillaris historiam Cl. RUNGII *Diss. cit. obs. 2.* quam & infra citabo.

b) *Institut. Pathol. §. 160. 3.*

laris sinus conflatur, cedere denique coguntur emollitæ c). Ita quoque, ut tandem, nisi & caries ex humoris acrimonia accederet, incremente ejus copia, totumque cavum replente, & summus sinus paries isti vi distendenti cederet d) atque oculum ex sua orbita propelleret. Obtemperat tamen & hoc malum aptæ medicationi, ubi remota morbi causa, ossi sua iterum consistentia conciliatur e).

§. XIV.

Provectiore morbo majus quoque periculum intendit ossium dira caries. Cito hæc ingruit, cum a dentium carie maxillaris ozæna suam traxit originem; superventura quoque, ubi ab alia causa ortum pus in saniem mutatum, in sinu relictum, acre redditum membranam erodit, ossa exest, ut ita sinus ipse & cum eo palatum, dentes, eorumque alveoli, narium cavitas omnis, fauces, orbita, oculus, uno verbo omnes vicinæ ossæ æque ac molles partes, carie & necrosi destruantur; quin & ad cerebrum etiam usque viam sibi parare potest dira hæc labes. Lubet hic experientiam introducere loquentem, quæ graphice lethales neglectæ ozænæ maxillaris sequelas ob oculos ponet; dum Cl. COWPERI memorabilem observationem latino redditam idiomate narrabo a): “ Vir „ingenuus a longo retro tempore effluxu foetida materia „per nares vexatus meam expetiit opem: exposui quidem, quomodo ei succurri posset; ast aliorum derisione

- c) Non infrequens est phænomenon ossium emollitio ex labe venerea aliave, præprimis rachitica. vid. Cel. PLATN. *Iust. Chir.* §. 1070.  
 d) Quæras hic, an omnino sic repleti posset sinus, nec efflueret sanies per orificium naturale? sed omnino hoc in casu & illud obliteratur.  
 e) Vid. iterum eandem Cl. RUNGII observationem mox citatam.  
 a) Apud DRAKE *libr. 2<sup>æ</sup> loc. cit.* p. m. 315.

„deterritus, curam neglexit; plures abhinc menses efflu-  
 „xere, cum rediret ad me, veritatem promissorum ex-  
 „perturus. Accersito Chirurgo dentario, jussi primam  
 „extrahi molarem, quod solita sua dexteritate peregit.  
 „Dum vero extraheret, non solum unus, quem prehен-  
 „derat, dens, sed & proximus, una cum alveolis fuerat  
 „effractus, quare perterrito Chirurgo animum erexi, non  
 „ipsum culpa id factum asseverans, sed diuturna erosione  
 „hæc ossa cariota reddita facilius cessisse. Hac encheiresi  
 „liberatus quidem æger a narium effluxu, cum alia via  
 „fuerit parata faciei; nihilo tamen minus paucis post  
 „mensibus atroces ingruunt dolores faciei cum hemicra-  
 „nia ejus lateris; tandem convulsus obiit. Aperto capite  
 „superiorem antri parietem carie affectum, exesum inve-  
 „ni, quæ inde sibi viam straverat per os sphenoideum ad  
 „lacerum usque foramen, denudata hic dura mater inflam-  
 „mata, præter modum sicca erat, tandem apostema vidi,  
 „corticali substantia in anteriori lobi cerebri posterioris  
 „facie inclusum, pia matre tectum, inque eo unciam sa-  
 „niei absconditam fuisse reperi.„

§. XV.

Reliquum est, ut ozanæ maxillaris curationem ag-  
 grediar, quam in sola Chirurgi manu positam esse, morbi  
 natura, ejusque sedes atque experientia loquuntur. Pot-  
 est tamen & hic aliquid medicamentorum virtus, ubi vi-  
 tio laborat sanguinea massa, ubi ad operationem præpa-  
 randum corpus est, ubi inflammatio tenet, suis debellan-  
 da auxiliis; hæc vero ex omnibus Practicorum libris edi-  
 sci possunt. Sollicitum itaque me tenebit modo eligenda  
 optima Chirurgiæ methodus, qua hisce opitulemur ægro-  
 tis. Proponenda sunt igitur ea, quæ felix Chirurgorum  
 industria hucusque ad morbi nostri medelam excogitavit.

Et primum sane locum tuetur COWPERI, five, si mavelis, MEIBOMII methodus a), qua extracto uno pluribusve dentibus finui respondentibus, & perforatis alveolis exitus saniei conciliatur. Consentaneum nimirum est sanis Chirurgiæ regulis, ante non curari posse ozænam maxillarem, quam instituta apertura, qua commode effluere five educi queat purulenta materies, & qua decliviori via, qua commodiori hoc fieri posset, quam per ipsius sinus fundum, quo perforato, suo dein proprio sequitur pondere? Et ad hanc certe curationis viam non raro ipsius morbi causa deducit, cum dentis carioli affectus incunabula paravere, quo in casu nulla omnino alia calcanda relinquitur; eandem etiam indicat interdum natura facto foramine, quo effluit sanies, non satis tamen amplo rivo. Alveoli perforatio, quam tacuit MEIBOMIUS, præcepit vero COWPERUS, non ubique ejusdem necessitatis est, cum sæpissime alveoli dentis extractione simul effringantur, five quod jam carioli sint, five præ tenuitate; ubi tamen nullum horum locum habere intelligimus, tricuspide (*troisquart*) curva foramen parabimus sat magnum, quo sanies exeat, cum exile nimis sit illud, quo dentium radices in ipsum sinum quandoque porriguntur b). Alia est medendi ratio, quam proposuit Cel. LAMORIER, Chirurgus inter Monspelientes celebris c). Ipse eam Cel. Auctor adhibuit, adhibendamque fuisse eo in casu, ubi citra omnem labem dentium ozæna maxillaris adest, dentiumque ratio habenda. Collocato ægro in sedili, elevandum est caput firmiterque tenendum, adducta inferiori maxilla, labia deducuntur, tumque in dimidii S formam figurato unco diducitur ejus lateris com-

a) Vid. §. VIII, n. d. & e.

b) Vid. Cel. GÜNZ *Prohif. citat.* p. XIV.

c) Apud Cel. BORDENAVE *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. IV. p. 351. & vid. Icon hujus Tomi tertia.

missura



missura, in quo morbus est; labium simul superius elevatur, atque digito impresso firmum tenetur. Inciditur nunc infra regionem molaris apophysis supra tertium molarem gingiva & periosteum cultro scindente, denudatur os, trepano illud terebratur, quod acutum mucronem habet, cujus forma serpentis linguæ comparatur; illudque foramen secundum opportunitatem dilatur. Sic exitu puri conciliato, injectisque mundantibus decoctis suum restituit ægrotum. Exercuit vero hic etiam suum ingenium Cl. JOURDAIN d), Chirurgus inter Parisinos dentarius. Visum nimirum est ipsi, posse per naturale sinus orificium intra nares ope siphonis assabre constructi, injectiones in ipsum sinum fieri, quibus depuretur ipsius membrana atque educatur peccans materia e). Analoga certe est hæc operatio ei, quam viarum lacrymalium, ductusque inprimis morbis proposuit Cel. LAFORET f). Eam methodum suo nomini vindicandam sumsisse Cl. ALLOVEL Autor est Cel. BORDENAVE g).

## §. XVI.

Cum igitur inter eas, quas recensui, methodos, iudicium ferre oportet, remactam peragere quidem videbor, postquam Cel. BORDENAVE in egregio suo Tractatu eas omnes ita inter se comparavit, ut cuique suum valorem per observationes statueret. Liceat tamen, dum in

d) Hæc methodus ibidem describitur p. 357. seqq.

e) Instrumenta proposuit tria; stylos binos flexiles & siphonem, que injiciatur, hæc descripsit Cel. BORDENAVE l. c.

f) *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. II.

g) libr. mox citato.

hac materia verfor, mea quoque qualiacunque cogitata in medium proferre. Et, ut ab ultima inchoem metho- do, haud grave pensum esse videtur, probare, eam non solum esse minus expeditam, sed & tanto operi impa- rem. Minus expeditam esse perspexere Chirurgicæ Aca- demiæ Mandati, quos, ut in eam inquirerent, iusserat Autor; repperunt enim instituto examine, non nisi for- te fortuna, posse siphonem orificio sinus immitti; posse & stylum immissum artificialem sibi viam parare: addi certe potest & hoc, quod sensilissima narium membrana non possit non hisce tentaminibustitillari, ut crebræ ori- antur sternutationes, quin & dolere, inflammari, atque ita gravius priori malum reddi. Verum & imparem cura- ndo morbo hanc methodum diximus; quamdiu enim sufficit naturale orificium ad evacuandam materiam, vix ozænæ nomine dignus morbus est, ad catarrhales forsan potius affectus referendus, cui tollendo & iniectiones supervacaneæ sunt; ubi autem vera exulceratio nostrum finum male habet, nedum dicam, ubi caries, aut offis emollitio supervenere, equidem cujus utilitatis possit esse ea encheiresis, non perspicio a). Deinde vero, quod ad Cel. LAMORIER methodum attinet, ea quidem experientia videtur esse comprobata, cum adhibuerit eam Cel. Au- ctor foeminæ, quam dentium extractio ab ozæna maxillari non liberaverat; neque cum Cel. BORDENAVE in eo casu laudandam esse negarim, ubi ob dentium absentiam per- forationem non admittunt oblitterati alveoli, qua declivis paretur exitus. Verum ubi superstites dentes, sani licet

a) *Il ne sait pas posséder à un haut degré l'esprit de combinaison, pour appercevoir que l'ouverture naturelle du sinus étant libre, ce n'est pas par cette voie qu'on peut parvenir à en nettoyer la cavité.* Hoc est iudicium a Cel. LOUIS de hac methodo latum, *Libr. cit. T. IV. P. 382.*

huic encheirefi præferenda videtur eorum extractio *b*); quamvis enim primo isti foeminæ minus dolorosa visa fuerit; non ita tamen omnibus visum iri persuadeor; scalpellum enim plures reformidant; minus deinde declivis exitus pari præbetur, quam alveolo perforato; nec satis certo affirmari potest, sani licet videantur dentes, non affectas esse radices cum alveolis; atque tandem, vel sano extracto dente, quid, quæso, inde damni? Nonne reponi posse testatur experientia? Denique vulnus ita inflicturn minus expedite sanari, quam a dentis extractione factum, neminem non perspicere credo.

§. XVII.

Satis sic intelligitur, præstare ex nostra sententia, omnibus reliquis COWPERI methodum simplicissimam, qua, nisi obliterated alveolis, declivis maxime puri exitus copia datur. Qualis vero dens eximendus sit, nova quæstio oritur? Duplex nimirum hic ponenda conditio; sive enim arbitrio relinquatur Chirurghi, inter sanos dentes eum evellere, quem libuerit; sive extractionem unius alteriusve dentis necessariam indicat ipsa Natura, ubi vel carie jam affectus, vel saltem dolorosus est; non raro & duos extrahendi necessitas urget; posterior igitur quum obtinet conditio, sequenda naturæ vox est, ita ut vel caninus eximatur, si quando oblique ad sinum maxillarem dirigitur, ut in Cl. RUNGII *a*) casu; licet ex Cel.

*b*) Nisi extrahi recusarint dentes, ut in Cel. MONRO casu evenit, quem infra citabo §. XIX.

*a*) *Dissert. cit. Obs. 2.*

BORDENAVE icone *b*) pateat, ejus fundum ubi recta sursum tendit a sinu ejusque basi longe abesse; possunt ita & omnes reliqui retro istum evelli, ubi vitio laborantes reperiuntur, non solum, ut sinus aperiatur, sed & ut omnis mali fomes removeatur. Re autem Chirurghi arbitrio relicta, præcipiunt omnes Autores, præcipit ipsa ratio, tertium eruere molarem, cujus situs ad depressiorem fundi sinus partem est, qua deinde expeditissime sanies effluet. Jubet id Cel. BORDENAVE *c*), adjiciens, tenuissimam hic perforandam esse laminam, ob eandemque rationem non inepte & quartum eligi posse; jubet Cel. GÜNZ *d*), jubet ipse Cl. COWPER *e*), licet enim primum dicat erudendum, ideoque a Cel. GÜNZIO reprehensus *f*), non immerito tamen suspicari mihi videor, illum eundem innuisse dentem, cum & primi majoris molaris nomine venire soleat, neque, COWPERUM, qui, instituto examine, primus hanc methodum docuit, priorem minorum molarium, cujus radix raro sinui immittitur, eximendum voluisse, probabile sit. Sed declivem saniei exitum paravisse non sufficit; medicamentis quoque & membranæ reliquam labem & incipientem forte cariem tollere oportet; cumque alia ratione nulla hic valeant adhiberi, quam sub fluida injectionum forma; hinc celebrata hic omnibus fere Chirurgis injiciendi encheirefsis, qua liquores detergentes, mundificant aliique, pro data opportunitate idonei immitti curam omnino perfece-

*b*) *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* Tom. IV. Jeon III. lit. A.

*c*) *ibidem.* p. 343.

*d*) *Prohus.* cit. p. XVI.

*e*) *Libr. 8<sup>o</sup> loc. cit.*

*f*) *l. c.*

re g). Curatione denique perfecta, superest claudenda alveoli apertura; sed non eadem hic fortuna manet omnes ægrotos; prostant enim observationes, claudī in aliis cicatrice, hiantem manere in aliis h), ut magno satis incommodo aër assumtaque viam per præternaturalem hunc hiatus in ipsum sinum inveniant; quibus ita adversa fortuna est, foramen instrumento obturatorio claudere oportet i).

§. XVIII,

Est autem & non raro ars, ab arte recedere; non enim sola solitarum encheiresium perficiendarum aptitudo Chirurghi absolvit ideam, sed ingenio opus est, ut minus consuetis casibus medela inveniatur adaptata; nec enim simplices eodemque perpetuo affectus offert C. H. cujus natura cum aliis conditionibus & in morbos summam inducit varietatem. Oportet hic scite comparare, componere, conjungere auxilia, quæ artis præcepta exhibent, ut & optatus obtineatur eventus; idque & in ozanæ maxillaris curatione sæpius obvenit. Liceat hoc binis probare exemplis: “ Monialis virgo, quæ octo retro annis  
 „ sinus maxillaris abscessu laboraverat, quem haud cognovit initio Chirurgus, tumore vero deinde palati, quid  
 „ esset, intellexit; apertus tumor pus fudit, iterumque coiit,  
 „ rediit vero, &, ut verbo dicam, periodice deinde apo-

g) Vid. Cel. BORDENAVE l. c. p. 354. & omnes fere, quas recenset Observationes.

h) Vid. Cel. LOUIS *ibidem*. p. 380.

i) Ex ebore, argento vel auro vult Cel. GÜNZ *Prolus. cit.* p. XVII. ex cera cum coralliis alii, vid. Cel. LOUIS l. *mox citato*.

„stema infra oculi orbitam sæpius per octo istos annos  
 „apparuerat. ” Hoc in casu consuluit Cl. RUFFEL a). “ In-  
 „tromisso hic stilo per inferiorem palati fistulam prope den-  
 „tium alveolos, ad orbitæ usque marginem pervenit; in-  
 „tegumenta elevavit, pertulit instrumento acuto, fetaceum  
 „per bina foramina duxit, cui illitis idoneis unguentis late-  
 „savientem cariem sustulit; sicque tandem stabili restitue-  
 „batur ægrota sanitati. ” “Ægrota alia humorem in fini-  
 „stra mala circumferebat, mollem, compressilem, cumque  
 „sono resilientem. Intellexit Cl. RUNGII b) parens, si-  
 „num maxillarem contento liquido ita esse distentum, ut  
 „undiquaque turgeret; Locum itaque quærens Chirurgus,  
 „ubi aperiretur, eum inter malam & gingivam sinistram  
 „invenit, quo maxime protuberabat. Conciliato igitur  
 „hic puri effluxu debite deligabatur vulnus, cumque do-  
 „leret caninus, oblique sinum versus tendens, extraxit  
 „eum, eaque apertura ad celebrandas injectiones usus est.  
 „Sic & apta in malas compressione facta deterfa est maxil-  
 „laris ozæna, osque in integrum restitutum.” Docent itaque hæc  
 „Observationes, quid in gravibus complicationibus cariei, mollitiei, in osse suscipere fas sit Chirur-  
 „go, ut ad artis scopum, sanitatem scilicet perducatur ægro-  
 „tum. An vero tandem & cariei hic adhibendum actuale  
 „cauterium (sit venia verbo)? Divinum quidem quasi esse  
 „auxilium ad ossium cariem, promovendamque exfoliationem,  
 „omnes uno ore loquuntur Chirurgi; ast absit tamen  
 „ab omnibus calvariæ ossibus necesse est. Monuit enim  
 „jam Cl. PALUCCI c), quid in fistulæ lacrymalis, cum ossis  
 „carie conjunctæ curatione ab igne timendum sit. Ter-

a) *Mem. de l'Acad. de Chir. T. IV. p. 373.*

b) *Dissert. cit. Obs. 2.*

c) *de Fist. lacr. cur. nov. meth. C. 2.*

rent quoque vestigia, ubi Jll. DE HAEN *d*) infortunia legimus cranii ustionem secuta, quæ summo cum candore, HIPPOCRATEM imitatus, exposuit; ita enim convenit Viris magnarum rerum fiduciam habentibus; igitur & a nostri morbi curatione removeatur quam longissime ex Cel. BORDENAVE *e*), meaque, si addere licet, sententia.

§. XIX.

Quæ hætenus explicui, pulcherrime illustrandæ nostræ Observationi inserviunt. Explorata anamnesi cognoverat Cl. Observator, explosa glande plumbea orbitæ basin ad magnum oculi angulum esse diffractam, cui plane similem casum Cl. RAVATON *a*) habet. Immissus non solum stilus, sed & valida ista exspiratio (§. XI.) ozænæ maxillaris existentiam indubiam demonstraverunt, eaque cum externa ad oculi marginem hiantē fistula conjuncta erat. Quod igitur primam dexterrimi Viri indicationem attinet, illam certe adimplevit secundum ea, quæ a maximis hucusque Viris præcepta fuere, dum facilem puri exitum paravit, extracto tertio molari atque perforato ejus alveolo. Ita etiam processere in curandis orbitæ fistulis Cl. DUBERTRAND *b*), Cel. St. YVES *c*) & Cl. HEVIN *d*). Simili quoque in casu eadem via incedendi animus fue-

*d*) *Ratio med.* P. VI. Cap. ult.

*e*) *l. c.* p. 375.

*a*) *Chirurgie d' Armée.* Obs. XXXI. p. 181.

*b*) *Mem. de l' Acad. de Chir.* T. IV. p. 349.

*c*) *Traité des maladies des yeux* Chap. III. p. 80.

*d*) *Mem. de l' Acad. mox cit. l.* p. 344.

rat Cel. MONRO *e*), nisi omnem Chirurghi vim eluisset extrahendus dens; quare ad celebrandam in palato prope alveolos aperturam mentem suam dirigere coactus fuit Vir in chirurgica Praxi consummatissimus. Horum etiam virorum auctoritate observationibusque permotus Cel. BORDENAVE *f*) non aliam esse his casibus medendi viam, jure, ut equidem credo, existimat, & ab eadem quoque sententia stat Cel. GÜNZ *g*). Ut satis pateat conspirasse hic Cl. OBSERVATORIS encheiresin cum Cel. Virorum placitis.

## §. XX.

Deinde vero, ubi secundam Indicationem dexterrimi Viri examinamus; non minus ad Chirurgiæ normam composita est, quam adhibuit, encheiresis. Fistula vera habebat oræna ad oculi angulum, sub quo nomine intelligunt cum CELSO omnes Chirurghi, "ulcus altum, angustum, callosum." Licet enim fistulæ denominatio improprie satis ad varia sinuosa transferit ulcera; sequuntur tamen ii omnes, quibus veræ morborum notiones curæ cordique sunt, CELSUM *a*), AETIUM *b*), PARÆUM *c*) &

*e*) *Med. Essays and Observat. of Edinb.* Vol I. P. n. XXIX.

*f*) *loc. mox cit.* not. m.

*g*) *Prothf. cit.* p. XII. non recte ejus mentem percepisse videtur Cel. BORDENAVE, quando eum arguit, quod inclinatio capitis situ, ut efflueret sanies per nares, tales fistulas curari posse crediderit, v. *l. c.* sed id voluisse videtur Cel. GÜNZ, hac scilicet inclinatione posse factam in alveolo dentis aperturam curari, vid. §. XVII.

*a*) *de Re med.* L. V. C. 28.

*b*) *de Re med.* L. XIV. C. 56.

*c*) L. XII. C. XXI. in *Uffenbach. Thes. Chirurg.* p. 292.

Cel.




Cel. PLATNERUM *d*), qui fistulæ characterem propriam in callo ponunt. In Cel. St. YVES, atque Cl. HEVIN observationibus igitur cæterum sane memorabilibus, cum sponte coisse fistula orbitæ dicatur, veram fuisse fistulam, non probabile. In suo vero casu Cl. DUBERTRAND eam scarificavit, ut consolidari posset; namque in omni veræ fistulæ curatione callus eximatur, necesse est, substantia mortua quæ consolidationi omnino obeſt; eam igitur laudando consilio ex toto fistulæ tractu simul exemit Cl. OBSERVATOR noster immisso emplastro vesicatorio, cujus & usum in reliquis post labii leporini malam curationem, fistulis commendavit apud Cl. BIDERMANN *e*). Tandem nec pluribus eorum reddendam rationem esse existimo, quæ ad implendam tertiam Indicationem instituit; licet enim ex citatis observationibus nulla earum cautionum exempla exhibeat, nec tamen ruptæ sint teneræ cicatrices, quis, quæso, laudabiles vituperabit cautelas, quas in casu nunquam antea audito, ad curæ perfectionem adhibet Chirurgus? & has quidem in nostro casu eo minus superfluas fuisse existimo, cum instrumento sclopetario inflictum vulnus ex eoque nata fistula, substantiæ certè plurimum amiserint, oportet, ut ita cicatrix nova substantia explenda non potuerit certe non esse tenerrima aliquaque indigere corroboratione, ne forte sternutatione rumperetur. Dicendorum hic finem facio, B. L. cumque haud satisfecerint Tibi, quæ delibavi, inde occasionem sumas expeto, Tua adjiciendi, intertexendi, remque perficiendi, ut in hominum salutem, cujus cura medicos præcipue attinet, quicumque nostri labores dirigantur.

*d*) Differt. de *Fist. lacrym.* §. III. IV. V. Opusc. T. I. n. 1.

*e*) Diff. de *Labio leporino.* Arg. 1770. §. XVIII. p. 29.

E





T H E S E S.

I.

*Natura optima morborum Medicatrix.*

II.

*In omni pleuritide ad Emplastrum vesicatorium, quod loco dolenti applicetur, tanquam ad sacram anchoram confugiendum.*

III.

*Sanguis menstruus profuit non solum ex vasis vagina, sed & ipsius uteri.*

IV.

*Nullum datur, nec dari potest universale remedium, nec prostat antidotum generale; nec certa satis fide Lithontripticum hodie innotuit.*

V.

*Principia mechanica non sola sufficiunt ad explicanda Phænomena physiologica & pathologica.*

VI.

*Callositates in fistulis internis remediis cedere, absurdum.*







ULB Halle


007 469 934

3



1018







B.I.G.

Farbkarte #13

ECIMEN INAUGURALE MEDICUM  
DE

ÆNA MAXILLARI  
UM ULCERE FISTULOSO

AD  
GULUM OCULI INTERNUM  
COMPLICATA

QUOD  
SUB AUSPICIIS DIVINIS  
TIOSE FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

PRO LICENTIA  
IOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

LENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
XX. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXI.  
ER. LEOPOLDUS WEYLAND  
BUXOVILLANUS.  
H. L. Q. C.

ARGENTORATI  
ficina JOH. HENR. HEITZII, Univerfit. Typogr.

